



Disputatio medica inauguralis de respiratione

<https://hdl.handle.net/1874/342829>

20

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RESPIRATIONE,

Q U A M

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex au^toritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicus consensu & Alme

Facultatis MEDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus &

Privilegiis rite consequendis,

Eruditorum examini subjicit

CLOPTON HAVE R S , Londinenfis.

Ad diem 3. Julii, horâ locoque solitis.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi Ordinarii, clc Ic Lxxxv.

Reverendo VIRO, & D^{no}. D^{no}.

**H E N R I C O
H A V E R S,**

Patri suo omni filiali reverentiâ co-
lendo.

N E C N O N

Clarissimo VIRO, ac D^{no}. D^{no}.

**R I C H A R D O
M O R T O N O,**

M. D. & Regalis Societatis Medico-
rum Londinensium Socio dignissimo
Disputationem hanc Inauguralem.

Gratitudinis ergo dedicat

CLOPTON HAVERS.

A U C T O R.



DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
RESPIRATIONE.

THESSIS.



Ivinæ sapientiæ, quæ omnes humani Corporis partes tam in sui admirationem, & laudem, quam ad hominis commodum dispositus, diversas regiones in Microcosmo constituere vixum est. In quibus varius penus conficitur naturæ fragili, & jejunio laboranti suppeditandus. Quarum regionum partes secundum situs superioris gradum nobiliora fortiuntur munera. At quamvis supremus venter sedis eminentiam & operationum præcellentiam jactet, interim tamen inferiorum partes, & facultates ad Oeconomia animalis conservationem non minus necessariæ sunt. Et Respiratio de qua jam sumus acturi, ad vitalis lampadis pabulationem tam necessario requiritur ut nos omnes cum anhelante Cephalo jugiter clamemus.

Aura veni —

I. L.

In hujuscē argumenti consideratione sequentem methodum

A 2

nobis

DISPUTATIO MEDICA

1. nobis propositam habebimus. 2. Omissa plenâ partium respirationi inservientium descriptione, imo & enumeratione, duo tantum, quæ thesibus quibusdam sequentibus præmittenda sunt, circa has partes annotabimus. 3. Respirationis definitio sequetur. 4. Aëris naturam, & Respirationis beneficia explicare conabimur. 5. Pauca de quibusdam affectibus, in quibus Respiratio lèditur dicemus. 6. Hanc disputationem canonibus quibusdam de aëris electione claudemus.

Quæ hic de partibus respiratoriis notanda sunt, ad Pulmones tantum spectant, in quorum structurâ fibræ nervæ tam rectæ, quam orbiculares, seu transversæ observatione dignæ sunt. Ab his rite consideratis Pulmones in Respiratione reverâ agere facile evincentur. Secundo vasorum Pulmonarium sanguiferorum, & aeri ferorum extremitates sibi invicem occurtere, & in eodem quasi loco terminari observamus. Quod non tantum ex amico, & socio eorum progressu conjiciatur, sed factis in hæc vasa diversi coloris injectionibus, illæ conspiciuntur maculæ, quæ rem ultra conjecturam promoveant. Quod aëris in sanguinem insinuati, & veræ Catarrhi causæ explicationi infra securæ inserviet.

I I I.

Quoad definitionem, Respiratio est Pulmonum, & musculorum huic operi dicatorum actio, quâ aerem in pulmones attrahimus, & magnam ejusdem aeris partem in sanguinem non admissem cum particulis glandulosa bronchiorum tunica separatis in communem aeris oceanum refundimus.

Est Pulmonum actio) Quamvis Pulmones in aeris inspiratione non tam proprie agere quam patidicantur, utpote qui ab aere Thoracis dilatatione presso, & in pectus irruente violenter distenduntur. Expiratio tamen, quæ Pulmones musculis expiratoriis in hoc opere adjunctos habet, nos facile excusatos reddet, si Respirationem Pulmonum actionem pronunciemus.

Quâ aarem in pulmones attrahimus) hæcce actionis Respiratoriaræ pars (quod antea innuimus) spiritibus, & musculis omnino tribuenda est. Pulmones enim in suâ expansione nullâ vi motrice gaudere sed violenter potius distendi videntur. Nimurum Cavitate Thoracis à musculis inspirantibus dilatata aer externus in Pulmo-

AUGURALIS.

Pulmones necessario, non tam ad vitandum vacuum, quam propter vacui defectum impellitur. Toto enim Macrocosmi spatio materiâ repleto, omnis Cavitatis dilatatio motum impulsivum corpori proximè adjacenti communicat, quo materia aliqua, ad cavitatem illam implendam protruditur.

Et magnam aeris partem &c refundimus) Quicunque robustas Pulmonum fibras, easque ita sitas, ut bronchiorum fistulas, & vesiculas facile constringant, inspicet, iisdem in expirazione agendi honorem, & se contrahendi potentiam concedet. Qui hujusque rei veritatem suspectam habet, æquâ ratione impelletur, ut ab omnibus Authoribus ventriculo motum, & se contrahendi vim tribuentibus dissentiat. si enim fibrarum robur, vel situm respicias Pulmones non minus aptè ad sui constrictiōnem, quam Ventriculus, formantur. Objicitur quidem ab iis, qui aliter statuunt, defunctorum Pulmones sine ullâ spirituum bronchiorum fibras moventium influentiâ subsidere; quare ipsos in expirazione tantum ad naturalem suum situm, & magnitudinem sponte detumescere volunt. Respondetur ejusmodi subsidentiam in defunctorum Ventriculis observari. Nemo tamen exinde alimentorum subactorum expressionem meræ ventriculi subsidentiæ sed ejus constrictiōni à spiritibus in fibras influentiibus factæ adscribit.

Cum particulis glandulosa Trachea, & bronchiorum tunica separatis) Natura fistulis aeriferis glandulas (in asperâ bovis, & majorum animalium arteriâ nudo oculo conspicuas) concessit. Quæ non tantum materiam unctuosam, quâ interna bronchiorum, & tracheæ facies linatur, & acutus eorum sensus retundatur, sed & feroſas particulas expirandas, & aere a frigore incrassato conficiendas se ferunt.

I V.

Respiratio autem hoc modo fit. Musculis Thoracis dilatationi dicatis ejus cavitatem amplificantibus aer externus in Palmones impellitur, ubi illa aeris pars, quæ primò irruerat, ad extremas vesiculas vasorum sanguiferorum extremitatibus occurrit, & per minutissima vesicularum foraminula se in sanguinem præterlabentem insinuat. Post pulmones ad extremam magnitudi-

6 DISPUTATIO MEDIDICA

nem distentos, & solitam muscularum tensionem, Musculi abdominis diaphragma fursum pellant, & pulmones (pari muscularum triangulari, & sacrolumbo simul agentibus) se contrahunt, ut locus diastole iterandæ detur.

Particulas autem quasdam elective per vesiculos in sanguinem admitti, non eâ, quâ vulgò recipitur fide dignum est. Cum crassiores fumi, & aliasmodi particulas per easdem vesiculos in massam sanguineam quotidie attrahantur, nullæ naturales aeris partes inveniuntur, quæ non multo facilius propter tenuitatem suam ingrediuntur.

V.

Datâ Respirationis definitione, jam Aeris natura, Respirationis beneficia, & utilitas se nostræ considerationi offerunt. Nec dubito quin Aeris natura, qualitatibus ejus, quæ tactu nostro cognoscuntur, animadversis, facilem explicationem admittat. Illæ sunt tres, liquiditas, calor & frigus, quæ duæ ultimæ suas tantum vices obtinent. Unde tres particularum species acerem Constituere Judicamus. Aliæ sunt lucidæ, & igniferae, agiles, & innato motu præditæ, à quibus Aer ex magnâ parte constat, & ex quibus (orientे sole, aut quovis igne elatere earum motum rapidiore, & pressionem fortiore redente) Lucis radij exurgunt. Hæ sunt magnum motū fermentativi principium & effervescentiæ subitæ quæ à quorundam liquorum mixturâ oritur, causa. Absurdum est enim creditu ebullitionem, & calorem à spiritu vitrioli & oleo Tartari, & similibus simul commissis excitatam sine motu ab alio communicato fieri. Quomodo motum illum, & calorem sibi invicem impetrare possunt? Nihil enim dat, quod non habet. Cum duo prædicti liquores vix ulla volatiles partes, & spiritus veros obtineant, quomodo motum sine materiâ motrice particulas suas feriente concipient, non video. Quare eorum ebullitionem à subtili, & æthereâ aeris materiâ allisa oriri non dubitamus. Et omnia, quæ alii elasticæ nitri aerëi virtuti attribuerunt, huic lucidæ, summeque agili substantiæ æquiore jure ascribenda sunt. Certissimum est enim nitrum in se principium esse frigidum, nec in aere nisi à particulis lucidis agitetur, ulla caloris, aut vis, Elasticæ signa edere.

VI. Li-

V I.

Licet nulla horum Lucidorum Corpusculorum vestigia durante Solis & aliorum Corporum illuminantium absentia apparet, jubet tamen ratio, ut talia semper in aere existere credamus. Nemo enim animum sum inducet, ut Corpora illuminantia præcipue artificialia, particulas suas tam longè diffundere credat, quam longè conspicuntur. Aer potius Lucidis suis particulis adeo scatet, ut sint earum series quaquaversus continuatae, quæ à Luminibus prementibus actæ in organon tam fortiter inpingunt, ut spirituum ex Oculo in Cerebrum refluentium motum mutent, & accelerent, quomodo Lucis radii, & perceptio fiunt. Licet nullus dubito, quin hæ particulae, nisi oculi nostri fortiori luci assuefacti essent, etiam absentibus omnibus cælestibus, & artificialibus Luminibus in aere deprehendi possint.

V I I.

Aliæ particulae, quæ aeris compositionem ingrediuntur, sunt nitrosæ angulosæ, & Solidæ; Quæ quamvis adeo minutim divisæ sunt, & rarefactæ, ut soliditatem suam sensuum nostrorum examini, & observationi non subjiciant, ab omnibus nitri naturali animadvententibus facile pro solidis habentur. In propriâ naturâ quietæ sunt, & tranquillum fixationis statum querunt, quod à frigiditate aeris, in quo hæ nitrosæ particulae abundant & dominantur, probabile statuimus. A Corpusculis tamen lucidis violenter agitantur, adeo ut quietem, (quā, si aer omnino ex nitro Constatet, fruerentur) nunquam consequuntur. Et quamvis particulas æthereas primum motus principium statuamus; non est dubium tamen, quin nitrum quatenus ab illis particulis Commovetur, motū, & fermentationes insignes excitare possit.

V I I I.

Restat tertia, & ultima particularum aërearum species. Quæ sunt aqueæ rarefactæ, quarum figuræ incertæ sunt, & mutabiles, quæ tam molles, & flexiles sunt, ut eadem particulae diversas figuræ successivè assumant, & sese omnibus particularum Sphæricarum seu Lucidarum, & nitrosarum interstitiis adaptent. Facile est observatu, & quotidiana experientia docet aquam ita nullo negotio rarefieri, ut non tantum aëri admisceatur, sed & ejus na-

tu-

8 DISPUTATIO MEDICA

turam reverà assumere videatur. Hujusmodi verò particulæ, nisi ad altum rarefactionis, & volatilitatis gradum evanescantur & vi Caloris rarefacientis à se invicem dimoveantur, Calore (à quo fuerunt rarefactæ) remittente, in seinvicem impingunt, in solitos amplexus ruunt, eoque modo unitæ in aquam rursus convertuntur. Non dubitamus tamen quin Crassiores aquæ particulæ, ita saepe rarefiant, & tantâ subtilitate donentur, ut planè aëreæ fiant, & naturam suam perditam nunquam rursus inveniant. Nec facilis hæcce aquæ in aërem transmutatio tantùm, sed & conspicua eorum quoad transparentiam, & liquiditatem affinitas, seu similitudo rationi consentaneum reddit, ut hujusmodii particulas aëri assignemus. Quas Massæ aëreæ partem longe maximam esse, neque aërem ab aquâ nisi tenuitate & raritatis gradu multùm differre judicamus.

I X.

Ex antedictis facile erit aëris liquiditatem explicare, quæ partim ab omnium ejus particularum figurâ, partim à lucidarum Commixtarum motu dependet. Particulæ, ut antea diximus, aliæ sunt Sphæricæ, aliæ angulosæ non ramosæ tamen, aliæ flexiles, seu molles. Unde fit quod sibi invicem pertinaciter adhædere non possunt, & Lucida Corpuscula in aëre debacchantia, & volitantia particulæ nitrosas & aquæas, licet ad fixationem dispositæ sint, promptè exagitant, & attenuant.

X.

Facile etiam statuamus unde aëris frigoris, & facultatis constitutivæ (quæ nonnunquam sentitur) rationes petendæ sunt. Non tantum à solis recessu, sed etiam à particularum figurantium in aëre abundantia, quæ in solis accessu, & viciniâ aërem temperatum, & saepe frigidum reddit. Si enim Lucideæ, & inquietæ aëris particulæ cæteras propter Solis distantiam minore, quam par est, vigore exigitent, aut si particulæ ejus nitrosæ, & Aquosæ quamvis regionem tantis copiis occupent, ut Lucidarum vires illud ant, & Phœbi impressionibus fortiter repugnant, Aër exinde frigidus evadit.

X I.

Contraria verò qualitatis ratio primò à Lucidorum atomorum copiâ

INAUGURALIS.

copiam diducitur, unde sit, quod interdum Aer uno die, aut mense, quo sol longius a nobis recessit, Calidior sit, quam altero, quo in terram nostram vicinore oculo aspicit. Aer enim, quando volatilibus illis partibus scatet, & fixarum (quae violenter commovendae sunt) numerus imminuitur, sese sine manu adiutrice fortius movet, & debilorem Solis calorem ad motum Calidum concipiendum requirit. In eodem enim Loco diversae harum particularum quantitates diverso tempore inveniuntur, quae aeris temperiem mutarent, quamquam nec Sol, neque alia Lumen in rerum natura existerent.

Altera aeris Caloris causa est magna illa Macrocosmi flamma Phœbus, qui Lucidorum atomorum motum æstu, & viciniæ suæ rapidiorem reddit, unde illæ particulae reliquas quiescere & figi aptas, licet copiosæ sint, in motu consensum trahunt, & in caloris generationem conspirare faciunt.

X I I.

Explicata aeris natura, aliquid de ejus & Respirationis usu, & beneficiis dicendum est. Quorum alia Inspirationi, alia expiracioni accepta ferimus. Illa ad hominis vitam, haec ejus felicitatem, & commodum necessaria sunt. Natura Inspirationis actione haec tria spirituum suppeditationem, sanguinis fermentationem, & ejusdem dilutionem qua meliore fluiditate donaretur, meditata est.

Primo modo spiritus suppeditantur. Quos è nitro solo confici probabile non est. Magna enim spirituum pars, qui è Cerebro emanantes totum microcosmum irradiant, & vitæ, sensus, motusque muneribus obeundis inserviunt, è Lucidis aeris particulis æque ac nitrosis, aliisve proculdubio excuduntur. Quis horum Corpusculorum volatilem, subtilem, & ætheream natum perpendens, illa è Corpore nostro excludi, aut spiritibus conficiendis inepta judicabit? Imo quam materiam spiritibus creandas tam idoneam reperiemus, quam illam, quæ propter subtilitatem suam nervos facilè pervadat, quæque illa velocitate movetur, quam sensus & motu actiones perficiuntur.

X I I I.

Prævaluit universim opinio vim aeris elasticam, & vivificam, quam vitæ filum producitur ex ejus nitro totam dependere; Quam

B

plu-

10 DISPUTATIO MEDICA

plurimis experimentis confirmari perhibent. Huc experimentum de Animalculis factum spectat, quæ in vase occluso, & aere exantato moriuntur. Hoc modo arguent, si particulae lucidae tantam spirituum partem ministrent, quomodo Animalis vita extinguitur, cum prædictæ subtile particulae in vas præcipue vitreum insinuantes irruant. Et nos argumentum facile reverberemus. Si nitrum aeris unicum sit pabulum, quod Animal in respiratione depascit, unde sit, quod frigidissimum cœlum brumale sc. & septentrationale, in quo nitrum plusquam in calidioribus regionibus abundat, animalia, quorum vitam conservare dicitur, interficiat?

X I V.

Interim tamen, ne injusti simus, fatemur ingentem Spirituum copiam è cæteris aeris particulis, tamen non sine Lucidarum accessione confici. Nitrosæ, & aquæ partes, quæ in se frigidam, & fixam naturam habent, materiam cedunt, at motum, in quo spirituum forma & natura præcipue consistunt, à Lucidis commixtis recipiunt. Nos igitur in hac re dicimus nec Lucidas nec nitrosas aëris particulas per se, & separatim, sed in conjunctione vitam lampadem alere; adeo ut Animal non magis sine lucidis corporis culis, quam sine alimentosis aut nitro & aquâ acreis vivere possit. Et si materia subtilis seu lucida est quovis vase excludi possit, retento nitro, non dubium est, quin Animal in illo vase locatum interiret. Imo videmus particularum lucidarum paucitatem, & inopiam non minus, quam nitri aerei, &amenti defectum Animalia interficere, quod non tantum in regionibus septentrationibus extremis, sed etiam apud nos siveiente frigore contingit.

Hunc socium particularum prædictarum in sanguinem influxam, & debitam earum proportionem requiri exinde Colligimus, quod magnus cuiusvis earum excessus fermentationes artificiales prohibeat ita, ut Cerevisia nec in regionibus, aut tempestatibus frigidis, nec in Calente India fermentescat.

X V.

Præter jam dictam spirituum suppeditationem, natura sanguinis fermentationem, ejusque exagitationem in respiratione molitur, quæ partes volatilitatis capaces communiantur, & exagitentur, quod

INAUGURALIS.

11

quod à nitrofis & solidis aeris particulis lucidarum motu nobilitatis perficitur.

X V I.

Tertium, & ultimum naturale Respirationis effectum sanguinis quoad fluiditatem alterationem statuimus. Cum enim omnes aeris partes in Pulmones & sanguinem indiscriminatim irruant, hæqueæ particulæ non sunt excludendæ, &, si à naturâ jugiter admittendæ statuantur, non inutiles censendæ sunt. Cumque aqueæ, adeoque tenues sint, facile sanguinem liquidorem reddent, quo vasa exilia, sine stagnatione commodius trajiciant. Nec mirum est, si aquæ materia inspiratis, æque ac ingestis admicenda exigatur. Hæc de Respirationis usu dixisse sufficiat, de expiratione enim ut agamus illa, quæ in disputatione studenda est, brevitas, non sinet. Sequitur jam in ordine, ut de affectibus, in quibus respiratio læditur, agamus.

X V I I.

Respiratio duobus patitur modis, vel enim impeditur, vel depravatur. Affectus, in quibus præpeditur, sunt Catarhus pulmonaris, Pleuritis, Peripneumonia, Asthma, & similia. Depravatur vero in suspiriis, sternutatione, Ejulatu, singultu, tussi, risu & ploratu. In quorum ætiologiâ nos pauca tantum, quæ naturam quorundam ex his affectibus explicare videantur, & ad eorum therapeiam spectant, annotabimus.

Catarhus pulmonaris duobus fit modis. Primo cum sanguis serofas suas impuritates extra pulmones contractas, in hoc Respirationis organon transfert, & in Bronchiorum glandulis, vesiculis, & Canalibus aeriferis deponit. Secundo cum Aer particulas serofas, (quæ ad pulmones sanguini rite commixtæ affluebant, & ipsum in toto progressu concomitari debent,) ad Vesicularum & arteriæ Pulmonalis extremitates fistit. Quod ut melius intelligatur in memoriam revocanda sunt ea, quæ de principiis aërem constituentibus diximus. Aeri particulas alias calidas & motu prædictas, alias frigidas, quæ Corpuscula occurrentia figunt, inesse jam innuimus. Insunt etiam sanguinis particulæ simili modo diversæ; Aliæ volatiles, & spirituose, motu lætantes, aliæ crassiores, ignavæ, fixationi, & quieti dispositæ. Supponendum est

B 2

etiam,

etiam, (quod in hujus disputationis initio præmisimus) vasorum sanguiferorum, & aeriferorum extremitates sibi invicem occurtere.

Frigidæ seu figentes Aeris particulæ inspiratæ ad extrebas Vesiculos sanguini in Venarum, & arteriarum extremitatibus labenti adjiciuntur. Ubi plurimæ salinæ, Aqueæ, & terrestres sanguinis particulæ fixantibus aeris Corpusculis obediunt, à quibus figurantur, & sistuntur, dum reliquæ partes ulterius gressum suum tendunt, ut antea.

X V I I I.

Nec in horum vasorum congressu extremo tantum, sed in quâvis pulmonum parte propter vasorum aeriferorum, & sanguiferorum viciniam, & sociam eorum ramificationem seri à sanguine defectio contingit. Aer enim frigidus per bronchia migrans sanguinis (quamvis immediate non attingat) in vasis tam proprie adjacentibus præterlabentis particulas serosas sæpe figit, eodem modo, quo externæ Corporis superficie impactus Catarrhos nunc in particularibus quibusdam locis, nunc universales excitat. Si sanguis in has serositates in venâ pneumoniciâ à frigore agatur, nulla seri coacervatio in pulmonibus inde orietur, nisi forte fortuito Sanguis post circulationem, & redditum suum istiusmodi recrements in Pulmones rejiciat. Materia enim serosa simul cum sanguine suo in sinistrum Cordis ventriculum defertur, ubi interdum sanguini rursus commiscetur, sæpe verò à sanguine angustos meatus properante relinquitur, ubi Rheumaticos affectus excitat. At si prædicto modo non hæreat, nec ad motum æqualem, & volatilitatem pristinam reducatur, ut massæ sanguineæ rursus admisceatur, lucta seu fermentatio exorietur. Natura enim tanquam expertissimus Imperator majores, quam solet, spirituum Copias in sanguinem mittit, quibus rebelle serum ad obsequium agatur, aut è Corpore eliminetur. Sanguis hoc modo ab ingenti spirituum copia serum ad oriente turbatus fermentationem, & febrem concipit.

Sin sanguis dum in arteriâ pneumoniciâ itinerat frigoris injuriam patiatur, pars ejus serosa à mixtione debitâ soluta ad vasorum extremitates, ubi debet transire, facile hæredit.

XIX. Se-

X I X.

Serum Sanguinis ad extremitates vasorum Sanguiferorum, & aeriferorum depositum, vesicularum fibrillis adjacendo, spirituum, qui illarum fibrillarum tonum conservare debent, vires necessario frangit. Spiritibus hoc modo debilitatis, vel fixis flaccescunt vesiculae, & illarum fibrillae sero propulso, & ingressum quærenti facile cedunt, unde materiae serosæ congestio, & Catarrhus necessariò sequuntur.

X X.

Serum autem, quod in Pulmonibus hoc modo congeritur, rariùs est illud, quod benè subactum, & sanguini plenè admixtum fuit, sed ē Chylo, priusquam in perfectum sanguinem convertitur, suppeditatum. Nemo enim, qui lacteam Chyli Naturam contemplatur, istum liquorem in serositates, & Coagulum difficulter agi opinabitur.

Nec dubito, quin hoc serum sæpe in venis lacteis, receptaculo Chyli, & ductu Thoracico, antequam Chylus venam subclaviam ingressus est, debitam mixtionem amittat. Credibile est enim vinum album, & quævis acida, dum Chylus adhuc in venis lacteis itinerat, copiosè ingurgitata lac chylosum in materiam serosam & caseosam convertere, cuius pars Salino-aqua, cum reliquis in massam sanguineam irruit, & Catarrhos nunc pulmonares, nunc Cephalicos &c. excitat, prout in hoc, vel illo loco deponitur. Ita sæpe observavi in Scorbutico quodam vinum album illo tempore, quo Chylus aut per vasa lactea fluebat, aut naturam Lactis in Sanguine retinebat, liberè epotum serositates efficere. Quod & in aliis acidō-scorbuticis proculdubio adverti potest.

Ipse etiam aer acidis particulis repletus sanguinis Chyloſi, i.e. Chyli nondum perfectè sanguificati serum simili ritu à cæteris partibus distinguit. Unde Ratio patet cur plerique Londinum adventientes à Catarrhis, & tussi corripiantur. Carbones enim fossiles, qui Londini comburuntur præcipue post olei sui consumptionem, particulas acidas emittunt, quæ nares eodem odore, quo sulphur commune accensum, & palatum eodem sapore, feriunt. Aer his particulis imprægnatus, si inspiretur, & in massam sanguineam admittatur, eadem effecta in Chyloſo sanguine, quæ acida lacti admixta, dabit.

Ubi

Ubi igitur Crasis Chyli , & Sanguinis tam imperfecta , & debiliſ eſt , ut eorum partes facile à ſeinvicem ſecendant (quà imbecillitate natura in scorbuticis laborat.) Ubi etiam aer particulis frigidis , vel acidis & alijs ejusmodi fixantibus ſcatet , Catarrhos frequenter occurrere universa experientia fatetur.

XX I.

Si quis verò quærat quid de coagulo , & Caseofā Chyli parte ſtatuendum eſt . Respondemus particulas plurimas Caseofis ſimiles præcipue in Scorbuticorum urinis ſubſidentes obſervari , unde partes reverè Caseofas ſæpe par urinam excerni conjicimus . At quoniam experimenta , quæ nobis de hac re proposuimus , faciendi opportunitas nondum occurrit , animo dubitante dicitur . Dum varia ad Coagulationem impediendum uti etiam post Coagulationem lacti commifci , & obſervavi ſpiritum ſalis Armoniaci lactis coagulo affuſum illud quaſi in gelatinam tenuiorem , & mu- cum convertere muci ſeu Cräftioris illius materiæ , quæ in fine Catarri excernitur , ratio statim ſubiit . Quid enim impedit , quo minus hanc viscoſam materiam in Catarri pulmonaris declinatione expectoratam Caseofas Chyli partes à Spiritibus , tanquam à ſpiritu Salis Armoniaci in hujusmodi mucum conversas credamus . At ſi caseofæ particulae in pulmonibus harentes à Spiritibus hoc modo non attenuentur indureſcant , unde tuber- cula , ſeu concretiones gypſea , & cretacea excitantur .

XX II.

In Catarri pulmonaris (uti etiam & aliorum) Curatione , & intentione prophylactici fortaffe non à ſcopo aberrabit , qui præter Medicamenta uſitato præſcripta Spiritum Salis Armoniaci , & ſimilia , quæ lactis Coagulationem impediunt , exhiberi jubet . In quo Caſu liberali manu , ſepiuſ , & majori doſi , quām vulgo ſolet , propinandus eſt . Si ejusdem Spiritus particulae per inspirationem introſumantur an profuerint , necne adhuc incer- tum eſt .

Notandum eſt etiam omnia acida quoad quantitatem , & quoad tempus ſumendi , ſi omnino Concedenda ſunt , à Medi- co præſcribenda eſſe , eā ſc. quantitate , ut in ventriculo morentur , & debitam digestionem , & alterationem ante ſuum in venas la-

cteas

æcas ingressum subeant, quæ eorum aciditas Spiritibus influen-
tibus &c. minatur. Et si aer acidus, vel frigidus existat, Me-
dicus vel aeris alterationem studeat, vel Patientem in meliorem
transferat.

XXXIII.

- Quoniam Catarrhus Phthiseos Pulmonaris prodromus usita-
tò est, rerum ordinem interturbemus, nisi proximum locum
huic Tabi assignemus. Cujus fundatum à sero (sive in pul-
monibus mixturam amittat, sive in alio loco fixum cum san-
guine advehatur) in vesiculis aereis congesto, & corrosivam
acrimoniam contrahente plerumque jactum est. Hūmor enim
per glandulosam bronchiorum tunicam separatus nisi valde cor-
rosivus sit hunc affectum vix unquam immediatè inducit, mediatè
quidem non raro, nempe diurnas, & frequentes tusses exci-
tando, quibus Vesiculae quoad tonum suum ita labefactantur
ut recrumenta, quæ à Sanguine sunt deponenda, facile admittant.

- In hujus affectus curatione si humores aciditate peccare videatu-
tur acidum temperantia, & chyli coagulationes impedientia,
frequenti sint in usu, Aer acidus, frigidus, & fixus, qui sero si-
tates promovet, fugiendus est. Aer tamen acidus non omnibus
Phthisicis æque inimicus est. Illi enim, quorum scorbutus pla-
nè falsus est, acrem acidum remedium Limonium, & Adra-
tiorum succo forte nihilo inferius experientur. Tempore hyber-
no plerunque Patiens aeris mutationem meditetur, navi, & flu-
tibus se committat, ut Solem fugientem sequatur. Hyemis enim
frigus in causâ est, quod medicamentorum usus in tot Phthisicis
irritus fiat. Ipse quendam novi Phthisi laborantem, qui postquam
duas hebdomadas è portu solvisset ut in Indiam trajiceret, sanita-
tem mirum in modum recuperavit. Et forte haec Methodus ma-
jori emolumento Phthisicis esset, quam itinera per aridam Monspe-
lium confecta, quatenus citius, minore cum negotio, & labore
in Calidorem aerem transferentur.

XXXIV.

- A Phthisi ad Pleuritidem affectum admodum periculosum
nec minus explicatu difficilem transeundum est. In cuius Causa-
rum

DISPUTATIO MEDICA

rum explicationem pauca tanquam probabilia offeremus. Et quia Mucosa gelatina in pleuriticorum fanguine aeri exposito nunquam non conspicitur & medicamenta lactis coagulum attenuantia qualia sunt spiritus salis Armoniaci, fuliginis, &c. in hujus affectus principio tam proficua inveniuntur non dubitamus quin Chyli Coagulatio præcesserit, cuius serosa pars per sudores, aut urinas nonnunquam rejicitur, coagulum vero seu Caseosæ partes in sanguine remanentes à spiritibus in gelatinam prædictam facile convertitur. Hæc autem materia quoniam crassa & viscosa est Capillares arterias non tamen expeditè penetrat, quin sèpe hærendo obstrunctiones pariat. Sanguis ab hac gelatinâ ad vasorum extremitates obstructus spiritus etiam prope gyrantes obstruit, quorum continuo appulsi particulae ejus ita exagitantur, ut effervescentiam concipiunt. Sanguis simul in ipsis arteriolis obstructus pulsificum earum motum, sicut fæces in Intestinis hærentes motum illorum peristalticum, invertit, unde reflectitur, & sanguini à Corde propulso occurrit. A sanguine illo, qui à motu arteriarum inverso reflectitur, & illa sanguinis portione, quæ à Corde continuo impellitur, quasi prælium committitur: his omnibus Conspirantibus Inflammatio fit.

X X V.

De Peripneumonia post causas pleuritidis explicatas nihil nobis dicendum restat, cum quo ad causas suas vix differant. Jam igitur unus tantum affectus Asthma sc. considerationem nostram manet. Hujus plures assignandæ sunt causæ, & species, quæ, quæ vulgo ab Authoribus recensentur. Veteres fere unam solummodo Asthmatis speciem humorosam sc. statuebant. Recentiores tres differentias designant. Asthma aliud merè pneumaticum, aliud mere convulsivum, ultimum mixtum posuerunt. Quæ divisib. non omnes Asthmatis species comprehendit.

Asthma quidem est vel simplex, vel compositum. Simplex verò triplex est.

Primum, in quo pulmones culpandi sunt.

Secundum, in quo musculi respiratorii afficiuntur, quod duplex est, spasmodicum, & Paralyticum.

Ter-

Tertium, in quo cavitas Thoracis, vel ab internis illam occupantibus; vel ab externis Thoracis parietes introrsum pellentibus imminuitur.

Asthma mixtum est, quando duæ ex his speciebus, aut etiam plures simul concurrunt.

XXV I.

Primum, in quo Pulmones primario afficiuntur optime Pneumonicum dicitur. In quo nunc materia aliqua viscida bronchiorum parietibus impacta aeri vesiculas ingressuro viam transitus negat; Nunc sanguis crassus æstuans, aut aliquo modo in pulmonibus stagnans & vesiculos comprimens, vel materia quædam scrophulosa, steatomatosa, Caseosa, vel lapidea in Vesiculis recondita, aerem inspirandum excludit.

XXV II.

Secundam verò Asthmatis simplicis speciem à spasmodicâ muscularum Respirationi dicatorum affectione solâ provenire ut credamus, neque ratio neque observatio finet. Sæpius enim a Paralyse nervorum Respiratoriorum, quâm à Muscularum convulsione oriri videtur, quando Spiritum Vini, Aquam Cinamomi fortem, & Similia, quæ Spasmodæ Spirituum ~~distressus~~ insigniores redderent, & potius antiparalytica, quâm antispasmodica sunt, plurimis Asthmate nervoso laborantibus prodesse videamus. Quare hujus Asthmatis (quod supra innuimus) duæ species, Paralytica sc. & spasmodica, statuendæ sunt. Quæ diversâ Methodo, diversisque medicamentis tractandæ sunt. Et summâ solertia Medico opus erit, quâ hanc ab illa rite distinguat.

XXV III.

Tertia, & Ultima Asthmatis simplicis species plurimas agnoscit Causas. De Ascite, Vertebrarum distortione & ejusmodi aliis non est nobis dicendi otium. Et unius vel alterius tantum tanquam rarissime occurrentium mentionem faciemus.

Natura propter Cordis nobilitatem hanc machinam non tantum Thoracis ossibus, sed & pericardio munivit, in quo liquorem perennis illius elateris irrigationi dicatum recondidit, qui, si ad diluvium congeratur, respirationem, Cordi non minus quam ipsa

aqua, gratam, & necessariam impedit. Hunc liquorem ad incredibilem molem accumulari, Pericardium distendere, & Asthma continuum inducere observatione compertum est. Quali Asthma-
te Dominus Shuter Scotus, & Lithotomista laboravit. E cujus pericardio aperto octo, vel decem libræ aquæ effluxerunt.

Cadaver cuiusdam puellæ aperuimus, quæ dum inter vivos morata est, post pastus dyspnæa correpta nunquam non gemebat. Visceribus abdominis detectis vera sed mirabilis periodicae illius dyspnææ causa patuit. Lienem magnâ crassitie in dextro latere inter hepar, & Ventriculum locatum invenimus. Quoties igitur ventriculus ab ingestis distentus viscera incubentia verius diaphragma premebat, thoracis dilatatio, & Respiratio necessario præpedite sunt.

De prædictis affectibus, satis superque dictum est. Nil jam restat: nisi ut regulas de aeris electione tradamus, quibus finem huic disputationi imponemus.

X X I X.

Quoniam flamma vitalis animæ & humani Corporis copula pabulo aereo ex parte vescitur, & conservatur, nostrâ interest, ut aer, quem inspiramus, particulas affectibus nostris adversas, & temperamentis accommodatas habeat. Materiâ enim aerea spiritibus creandis designata, & sanguini nostro admista, nisi naturæ conveniat, eam æque ac vel fortasse magis quam alimentum vitiousum evertit.

Ut prudens, & recta aeris electio instituatur medicus primo loco, quales sint cuiusque Patientis affectus, meditari debet, qualis temperies, seu constitutio, & quibus affectibus propter temperamentum, aut alias causas prævisas obnoxius sit.

Secundo, magnâ solertiâ, & sagaciâ opus erit, qua aeris in hoc, vel illo loco fluentis naturam intelligat, & certum habeat qualem alterationem corpuscula terrestria, & particularium simplicium effluvia naturali aeris constitutioni conciliare possunt, ut aerem alterandi artem calleat.

XXX. Re-

XXX.

Respectu principiorum suorum Aer nunc nitrosas & aqueas particulas dominium exercentes, & Lucidarum motum, æstumque frenantes habet, quo tempore ad fixitatem magis accedit, & frigidus evadit; nunc Lucida aeris corpuscula vel propriis viribus, & ingenti suâ copiâ, vel corporum igniferorum auxilio cæteras particulas exagitant, unde aer magis subtilis, fluidus, & calidus reperitur.

XXXI.

Cum prædictis principiis Corpuscula è terra jugiter emissâ Medicis considerationem postulant. Cum sapientissimus rerum moderator terrestrem globum nobis sedem posuit, impossibile est ut aerem purum, hoc est terrestribus effluviis liberum inspiremus; imo aer prædictis particulis imprægnatus nobis adeo naturalis est, ut in puro vix vivere possimus. Præterea illiusmodi effluvia è quibusdam terræ partibus emittuntur, quæ aerem in non paucis effectibus peculiari modo medicamentosum reddunt. Et herbæ cum aliis simplicibus (quod etiam de compositis non negamus) particulas suas per inspirationem introsumendas præbentes in quibusdam affectibus magis specificè quam ulla earum præparatio jacent. In plurimis etiam affectibus quorundam medicamentorum particulæ per inspirationem sumptæ medicaminum deglutitorum vires efficaciores redderent.

Non tamen omnia eodem modo indiscriminatum tractanda sunt, quo benignos suos habitus ægrotanti cedant. Plurima sponte, & sine incendii pompâ aerem particulis à nobis desideratis imprægnant, dum alia non nisi ignis vi soluta corpuscula sua medicinalia in aereum manumittunt.

XXXII.

Probabile esse diximus medicamentorum quorundam particulas per inspirationem in Corpora nostra admissas, magis quam vulgaris illa exhibendi modus solet, profuturas. In cuiuscce hypothesis defensionem duo argumenta assurgunt. Primo Medicamentorum partes in sanguinem immediate migrantes, nullas ejusmodi mutationes subeunt, quas omnia ingesta, in Ventriculo,

20 DISPUTATIO MEDICA

Intestinis, & vens lacteis patiuntur. 2. Aliæ medicamentorum præparationes subtiles eorum partes debitâ volatilitate, & subtilitate donatas minùs fidè, quam eorundem halitus & vapores per inspirationem recepti sanguini, & corporibus nostris communicant. Quis enim plurimos liquores, quos vulgo pro spiritibus habemus tales revera esse, vel saltem post tantam condensationem, propriam, & antiquam naturam obtinere arbitratur? At si eadem medicamenta totâ suâ substanciali exhibeamus, eorum sal fixum, quod fortasse non conveniet, simul cum partibus volatilioribus assumitur. In hac autem particularum medicinalium inspiratione subtilissima Corpuscula cum aere attrahuntur, neque ulla præparatio æthereos rerum spiritus sine earum sale fixo æque certo, ac earum fumus, præbet et

X X X I I I.

Effluvia è terrâ in aerem dimissa vel ex aridâ, vel ex aquis oriuntur. Illa, quæ ab aridâ suppediantur quatuor agnoscunt mineras. Sunt enim

Vel	Mineralium	Progenies.
	Glebarum	
	Vegetabilium	
	Animalium, & eorum excrementorum	

Corpisculorum à mineralibus provenientium alia sunt Mercurialia, qualia è fodinis plumbeis, Saturni fusione & Mercurii præparationibus emissâ sunt. Alia arsenicalia. Quædam sunt acida à Vitriolo, sulphure, Carbonibus fossilibus semiustis accensis orta. Ex Autimonia stibiata, è magnete magneticæ particulæ egrediuntur. Quæ ultimæ propter inquietudinem, & gyrationem suam in spirituum torpore inspiratæ fortasse eorum motum promoverent.

E tellure, & glebis præcipue aratro aut ligone versis, & fractis propter diversas radicum & aliorum in visceribus terræ reconditionum naturas, diversimodi ascendunt habitus. Particulæ autem, quæ è terrâ copiosissime proveniunt, nitroso esse videntur.

Ve-

Vegetabilia innumeras fere effluviorum species pariunt, quorum classes vel respectu qualitatis, qua sunt prædicta, vel partis, & affectus, quibus appropriantur, disponi possunt.

Respectu qualitatis alia sunt calefacentia, non nulla refrigerantia, alia humectantia, quædam vero exiccantia. Sunt etiam narcotica, quæ non tantum opium præparantibus minantur, sed etiam flores Papaverum Rhædum, imo & Paralyseos discrpentes sopore obrunt. Sed diversæ omnium medicamentorum qualitates non sunt hic enumerandæ.

Respectu partis, cui appropriantur aliorum particulæ sunt Cephalicæ, illorum peumonicæ, horum Cardiacæ, quorundam stomachicæ, & similes. Affectus, & Symptomatum respectu, Vegetabilium Corpuscula se aeri adjungentia, & in Corpus per inspirationem insinuantia, antispasmodica, antiparalytica, antiphthisica, antiscorbutica, antivenerea, Elminthica. & ejusmodi sunt.

Animalia, quæ omnia aeris beneficia vivunt, particulas, quarum plurimæ sensoria nostra feriunt, Aeri quasi gratitudinis ergo rependunt. Inter quas nonnullæ, etiam quatenus inspirantur, in medicinâ utiles inveniuntur, ita vulpis, & viverræ effluvia in affectibus paralyticis proficia habentur, quamvis eorum virtus per nares potius, quam pulmones communicari vulgo judicetur.

XXIV.

Corporum cælestium influentia sine omni dubio satis magna est, nos vero tantum Solis effecta in aere evidenter deprehendimus. Qui pro suæ vicinæ gradu aerem attenuat, & calefacit.

XXV.

Postquam Consilientis temperatura, aeris natura, & candem alterandi modus Medico innotuerunt, restat adhuc ut aerem Patienti accommodet.

Ubi partes ritè constituuntur, ubi spiritus placide, & vividè fluunt, & humores debitâ crasis, & principiorum suorum proportione donantur, h. e. ubi Corpus optimè temperatum est, aer etiam temperatus esse debet. Et quæcunque qualitas sit, qua temperamentum à medio cedit, Aer contraria qualitate præditus eligendus est.

Af-

Affectus ab aere expugnandi sedem suam vel in spiritibus, vel in humoribus, vel in solidis partibus obtinent.

Spiritus quandoque nimis incalscunt, & motu immoderato furiunt, uti in Phreneticis, Maniacis, Oestro spasmatico convulsis, febricitantibus, & similibus. In hujusmodi spirituum furoribus aer frigidus, & tenebrosus eligendus est, qui pauciores particulas Lucidas & agiles in se continet, & minus à Sole comovetur, ut spirituum furori non contribuat. Illa etiam effluvia aeri concilianda sunt, quæ inspirata spirituum tumultum eorum numerum minuendo, vel motum retardando compescant. Quare salina, acida, aqua, & nonnunquam soporifera quærenda sunt.

X X X V I.

In aliis spiritus contrario modo se habent motu sunt tardi, numero pauci, & viribus infirmi, uti in quibusdam Chlorosi, & aliis ejusmodi Cachexiis laborantibus, paralyticis, &c. quibus usus aeris particulis lucidis, & volatilibus abundantis imperandus est. Et non dubium est, quin nostri Paralyticci tempore hyberno Correpti, aut laborantes, si in aërem calidorem mittantur, multum emolumenti consequantur. In hoc infirmo, & depauperato spirituum statu aer effluviis vulpinis, aromaticis, atque iis, quæ è castoreo, Spiritu salis armoniaci, vinis generofis & similibus avolant, alteratus non inutilis erit.

X X X V I I.

Humor, cuius intemperiei pœnas Patiens præcipue luit, sanguis est. In quo quinque principia concurrunt, quorum alia sunt activa, alia inertia & fixa. Secundum horum proportionem in sanguine observatam, aer calidus, vel frigidus, acidus, aut humidus &c. Conciliandus est.

Aerem omnibus particularibus affectibus accommodare res infiniti pene laboris esset. Pauca tamen, quæ de aeris inspirati effectu observavimus, & quæ accuratiorem respectum ad aerem in aliis morbis curandis suadeant, notabimus. In scorbuto igitur falso, ubi succi acidi prescribi solent, aerem Londinensem particulis acidis saturatum puriore meliorem deprehendi novimus. Aceti etiam vapores hujusmodi liquorem præparantibus

tam

tam insignem appetitum excitavit, ut ejus particulas in ~~aeropœgia~~
inspirandas præscribere non dubitarem. Sed nostra disputatio eō
prolixitatis devenit, ut nihil amplius, quam veniam poscere, si-
quid absurdī diximus, admittat.

COROLLARIUM.

*Aer Medicamentorum Corpusculis satu-
ratus non tantum alterandi, sed et
evacuandi vim à Medicamentis eva-
cuantibus obtinet.*

F I N I S.



CORTARIA

211

